

PETRVS MOSELLANVS LYPSENSIS PROFESSOR.



Petrus Protegensis à pueris literis operam dedit, atq; artium & literarum fundamentis feliciter iactis, ad Lypsensem Academiam peruenit. In ea adeò profecit, ut omnium consensu Græcarum literarum professor cōstitutus fuerit. eam functionem is singulari dexteritate absoluit, & in eo gymnasio plurimū emicuit. Scripsit is libros plurimos, & inter alios Pædologiam, atque Tabulas de schematibus & tropis, quæ hodie in omniū studiorum manib; teruntur. Præceptiones item de primis apud Rhetores exercitationibus, atque Orationem de uariarum linguarum cognitiōe paranda. Annotationes insuper in A. Gellij Noctes Atticas, & Quintiliani Institutiones Rhetoricas composuit & edidit. Dialecticam Georgij Vallæ scholijs illustrauit, & Demosthenis aliquot orationes explicauit. Vertit è Græco Gregorij Nazianzeni sermonem de Christi natalib; ac Isocratis orationē de bello fugiendo & pace seruāda, & alia huiusmodi. Cum hoc modo uiua & muta uoce multos erudiret, anno 1525 magna literarum iactura Lypsiæ obiit, & in professione Erasmi Roterodami iudicio Iacobum Ceratinum successorem habuit. Eras. in Epist. Con. Gess. in Biblioth.

Atticas, & Quintiliani Institutiones Rhetoricas composuit & edidit. Dialecticam Georgij Vallæ scholijs illustrauit, & Demosthenis aliquot orationes explicauit. Vertit è Græco Gregorij Nazianzeni sermonem de Christi natalib; ac Isocratis orationē de bello fugiendo & pace seruāda, & alia huiusmodi. Cum hoc modo uiua & muta uoce multos erudiret, anno 1525 magna literarum iactura Lypsiæ obiit, & in professione Erasmi Roterodami iudicio Iacobum Ceratinum successorem habuit. Eras. in Epist. Con. Gess. in Biblioth.